



Me  
Sien Syd 920<sup>20</sup> 4<sup>0</sup> 2

9

2

G. q. 106. a.

OBITVM  
IUVENIS GENEROSI  
DILECTISSIMI  
LVDOVICI GVILIELMI  
A BODEN,

*EQVITIS BRVNSVICENSIS,*

QVONDAM


*CIVIS PAEDAGOGII BERGENSIS LAVDATISSIMI,*

CALENDIS APRILIS CIOIDCLVII. ANNO AETATIS XVIII.

PRAEMATVRA ET INOPINATA MORTE E VIVIS EREPTI

DOLENT

*PAEDAGOGII BERGENSIS COLLEGAE.*



MAGDEBVRGI,  
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI PANSAE.

AK





Quid fugis nostras, JUVENIS VENUSTE!

Tam cito sedes, quibus aether ardens

Annuit viuis generisque grati

Munera donat?

Quid beatorum properas videre

Splendidos coetus; series dierum

Est brevis tantum, medioque flore

Concidit aetas?

Forsthan cessit subito voluntas

Hac frui vita; quoniam stupendus

Cingit aetatem cumulus malorum

Pectora turbans?

Cingit! At nunquam tamen atra nubes

Solis auratum superare lumen

Vi potest: nubes potius calore

Diffipat omnes.

Gaudeant cuncti, liceat, fruentes  
Luce felici; datur hic facultas  
Rite quaerendi simul et parandi  
Regna suprema!

Optime flores: neque parcit atrum  
Floribus fatum, rapuitque vota  
Spesque dilectae patriae sub imo  
Corde latentes?

At! statim causae subeunt dolendi  
Et grauis casus. Fateamur vna:  
Hoc ruinarum genus omnia nobis  
Anxia reddit!

Est satis magno reliquis dolori:  
Si vocat letum iuuenis virentis  
In sepulcrorum tenebras ibique  
Obruit artus.

Vinculis ruptis socios Olympi  
Conuenis ciues, frueris quiete  
Semper optata, caput et corona  
Aurea cingit.

Mente si nostra reputamus ingens  
Praemium Christi sobolem coronans  
Maxime primam: penetrat perennis  
Ardor habendi.

Sic Deus iussit, voluitque cunctis  
Liberum damnis recreare Nostrum,  
Ne capi posset penitus periclis  
Amplius vllis.

Nonne libertas morientis ora  
Impulit fari: cupio migrare!  
Non placet tellus! sceleris nefandi  
Pessima nutrix!

Arma, quae toto resonant in orbe  
Territant gentes; querulaeque voces  
Arua compleverunt; homines rigarunt  
Sanguine terram.

Sed procul terror, procul atque bella  
A Domo coeli fugiunt; quiescis  
Brachiis Jesu validis adhaerens  
Vndique tutus,

Plus voluptatis capies amoena,  
Quam nitor terrae tribuit caducus  
Omnibus viuis; fugiens ut ignis  
Fumus in auras,

Hanc TVAM vitam cupimus Beate!  
Optimam degis! Teneatque curas  
Omnium nostras patriae beatae  
Regia sedes.

Sic manet vinclum tenerique amoris  
Non perit pignus; memor eleuatur  
Mens, et assurgit sitiens piorum  
Cernere castra.



78 M 350


ULB Halle 3  
001 592 122



56.

Petro V









101

OBITVM  
IVVENIS GENEROSI  
DILECTISSIMI  
LVDOVICI GVILIELMI  
A BODEN,  
EQVITIS BRVNSVICENSIS,  
QVONDAM  
CIVIS PAEDAGOGII BERGENSIS LAVDATISSIMI,  
CALENDIS APRILIS CIOIDCCLVII. ANNO AETATIS XVIII.  
PRAEMATVRA ET INOPINATA MORTE E VIVIS EREPTI  
DOLENT  
PAEDAGOGII BERGENSIS COLLEGAE.

MAGDEBVRGI,  
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI PANSAE.

AU

